

suis insistere. Quod vero hominibus impossibile videtur, potissimum quando ratione & viribus naturalibus nituntur, illud Deus possibile facere potest, & faciet quoque, si ad opem ejus confugiamus ac Spiritu Sancto nos duci patiamur.

§. VII.

Quod attinet ad Præjudicia practica *Theologiæ moralis* præceptis adversa, ea impingunt vel in officia erga Deum, vel erga ipsum hominem, vel erga alios.

§. VIII.

Præjudicia practica circa officia erga Deum, vel tangunt ipsius cultum internum, nempe agnitionem seu fidem generalem, fidem in Christum specialem, obedientiam, patientiam Christianam, gratiarum actionem mentalem; vel cultum ipsius externum, nimirum usum externum Verbi & Sacramentorum, confessionem fidei, glorificationem, juramentum religiosum, jejunium, celebrationem Sabbathi & Festorum aliorum.

§. IX.

Præjudicia practica circa cultum Dei internum, & speciatim quidem circa ejus agnitionem, eo redeunt, quod homines putent:

1. Homini laico vel plebejo sufficere qualemcumque de Deo & rebus divinis notitiam. (Dann sie seyn schlechte und einfältige Leute.) Verum etsi non tanta & tam accurata in ipsis requiratur in rebus divinis scientia, quanta in Theologo & ministro Ecclesiæ, talis tamen esse debet, quæ sit ad salutem sufficiens. Si enim quis nescit voluntatem divinam, quomodo eam facere poterit? Conf. 1. Cor. XIV, 20. Eph. IV, 13. 14. Ebr. V, 12. sqq.